

Justus Christoph Schomer

**Collegii Theologici in Universitate Rostochiensi ad hunc actum Decanus, Justus Christophorus Schomerus ... Ad Disputationem Inauguralem ... Dn. Jacobi Winnemeri, Ad S. Jacobi apud Stetinenses Archidiaconi meritissimi, De Arcanis Dei Ex. Deut. XXIX.29. Pro Licentia obtinendi honores Theologicos instituendam, d. 23. Septembris A. MDCXC. ... invito**

Rostochi[i]: Wepling, [1690]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733624502>

Druck Freier  Zugang



RU theol 23.Sept. 1690

Schomerus, Just. Christ<sup>fc</sup>







*Programma + Scripturium*

1006.

**QUOD BENE VORTAT!**

Collegii Theologici in Universitate Rostochienfi ad hunc actum DECANUS,

**JUSTUS CHRISTOPHORUS SCHOMERUS,** *168*

Doct. & Prof. Prim. Consistorii Assessor & Superintendens Mecklenburgensis,  
*Meo & Venerabilis Collegii nomine*

AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

*VIRI Plurimum Reverendi & Clarissimi,*

**DN. JACOBI WINNEMERI,**

Ad S. Jacobi apud Stetineses Archidiaconi meritissimi,

De

**ARCANIS DEI**

*Ex Deut. XXIX. 29.*

Pro **LICENTIA** obtinendi honores Theologicos instituendam,

*d. 23. Septembris A. MDCXC. horis matutinis & pomeridianis,*

MAGNIFICUM Universitatis RECTOREM, Excellentissimos DNN. Professores, Doctores, Licentiatos, Rev. urbis presbyterium, Cl. Philosophiæ Magistros, & omnem literatorum, ac Studiosæ juventutis ordinem, quâ par est observantiâ & humanitate invito.



RostochI, Literis JOHANNIS WEPPLINGI, Acad. Typogr.

*1690*



Vernadmodum divina Majestas ab oculis & sensu hominum remota mentem ad cœlestia atque abdita consideranda avocat, ita & à silentio & arcanâ rerum divinarum traditione, religioni sacrisque suis reverentiam conciliare multis in proclivi fuit. Sumus omnes naturâ ita comparati, ut miremur ignota, deq; iis, quorum causam perspectam non habemus, graviolem ferè opinionem induamus: quæ res cum ad ipsum Numinis cultum applicatur, non potest quin augustiorem aliquam illi majestatem & sacerdotibus eminentioris sapientiæ opinionem adjiciat. Ita jactata Egeriæ dea arcana confabulatio magnam trahendæ popularis superstitionis & firmandi inde imperii Numæ Pompilio præsidium fuit: & in proverbium abierunt Eleusinia sacra, atque id genus nocturna alia, Cereri, Proserpinæ, Hecatæ, Baccho, Orpheo, Isidi apud Græcos & Ægyptios dicata, quorum mysteriosos ritus & ceremonias non nisi post publicas secretasque purgationes & varia initiationum genera inspicere dabatur. Ad illorum imitationem formatos Valentinianorum mores exagitat Tertullianus, quòd nihil magis curent, quàm occultare quod prædicant, quòdque ipsis tota in adytis divinitas sit, per multa siparia portarum, & signaculum linguæ, ut inter diutiores initiationes opinionem suspensio cognitionis ædificent, & tantam majestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem, *lib. adv. Val. cap. 1.* & Carpocratis ac Basilidis hæresin arguit Irenæus *l. 1. c. 24. seq.* quòd mysteria sua effari noluerint, sed dignis tantum & assentientibus tradi debere causentur. Etiam veteres Christiani omnes, ut catechumenos desiderio acriore plenissimæ cõmunio-

1007  
nis ecclesiasticæ accenderent, gentiliūmq; evitarent profana  
nam irrisionem, sacras quasdam ceremonias, præcipuè  
baptismi atque eucharistiæ, secretius habuerunt, ab illa-  
rum non conspectu tantum sed & enarratione utrumq;  
illud hominum genus arcentes. Nimis enim tenue videri  
poterat, quòd in aquarum mersione, aut panis atq; vini  
epulo occuparetur religio, quæ gratiam & regeneratio-  
nem Spiritus S. promittebat, Dominiq; suspiciebat sin-  
gularem præsentiam, nisi sacro aliquo silentii velo ob-  
ducta iis reservaretur, qui confirmati iudicio pietatis sa-  
pientiam Dei etiam in rebus externis venerari didicissent.  
Maxima inde cautio fuit, nequid de his mysteriis in pub-  
lico dicerent apertius, ubi promiscuum vulgus aderat,  
ceu ex Athanasio, Cyrillo Hierosol. Gregorio Naz. Basi-  
lio, Augustino, aliisq; eleganter docet Is. Casaubonus *exerc.*  
*XVI. adv. Baron. n. 43.* ita ut & Marcionitas Epiphanius,  
& plures generaliter hæreticos Tertullianus *de præscript.*  
*cap. 41.* neglectæ hujus disciplinæ graviter arguant. Imò  
à primâ Christianismi ætate & ipso divini Magistri insti-  
tuto illa sacrorum occultatio repeti posse visa est in nupè-  
râ quâdam dissertatione bibliothecario pontificio Ema-  
nueli à Schelstrate, amplissimum inde partibus suis præ-  
fidium quærenti, parum memori tamen, quantopere in-  
de ipsam ecclesiæ Rom. praxin convellat, quæ dudum  
desiit hæc mysteria à judæis aliisque infidelibus abscon-  
dere. Scilicet in has angustias rediguntur viri, qui unde-  
quaq; à veritate deserti sunt, ut eum etiam defendendæ  
causæ colorem quærant, qui pudoris esse debebat. Ita tra-  
ditionibus, quas præter S. Scripturam venerantur, etsi coram  
universo orbe propalatis, tamen religionem silentii ob-  
tendunt, quòd scilicet dignitas mysteriorum id requirat,  
ne coram omnibus exposita in scriptis legantur, *vid. Bell.*  
*l. 4. de V. D. cap. 8. §. ult.* vel saltim ut obscurius legantur, *vid.*  
*Sinnich, Goliath. profl. cap. 20. p. 149.* Contrario studio occul-  
tant,

tant, quæ à Spiritu S. scripta sunt, cum verba consecrati-  
onis Eucharisticæ non tantum linguâ plebi ignotâ, sed &  
secretò pronunciant, ne vilescant scilicet, aut à pastoribus  
in agris stolidâ imitatione repetantur, qui semel factò mi-  
raculo propterea percussi esse dicuntur, *vid. Bell. l. 2. de miss. cap. 12. §. ult. & ex Richeomo ac Hardingo Chamier. t. 3. panstr. l. 6. c. 8. n. 20.* Item cum nuncio Pontificio perniciofa &  
periculi plena res videtur, psalmos davidicos, quæ tan-  
quam religionis mysteria non nisi latinè à sacerdotibus  
celebrari sueverant in templis, Parisiis vulgari linguâ can-  
tari, apud *Pet. Suav. l. 5. hist. concil. Trid. ad a. 1558. p. 371.*  
In religione Christianâ certè nihil est, quod abscondamus  
populo Dei, etsi est quod publicis irrisoribus atq; hostibus  
non prostituamus, Etiam explicationes parabolarum,  
quæ discipulis Christi seorsim factæ sunt, ab Evangelistis  
scriptæ leguntur *Matth. XIII.* & quicquid in aurem illis  
dictum est, iussi sunt prædicare in tectis atq; luce publi-  
câ, *cap. X. 27.* Quin fictorum hominum & pravè seducen-  
tium & hypoeritarum illud fore molimen, agnoscit *l. 3. c. 15.*  
Irenæus, si doctrinæ apostoli aliquid subtraxissent pu-  
blicè, quod clam docuissent. Aliud mysterium est, quo sa-  
crum horrorem religioni Christianæ circumdare contem-  
dunt Calviniani, cum arcanam nobis aliquam Dei volun-  
tatem narrant, clam saluti plerorumq; illorum invidam  
quibus palam illa blandissimis verbis offertur. Non pos-  
sumus nisi exhorretcere, cum tantam hominum confi-  
dentiam animo volvimus, qui sine novâ revelatione,  
sine secretiore in adyta cœli admissione, arcani tamen  
consilii divini præter illud, quod publicâ prædicatione lau-  
datur, consciu esse volunt, & ex illo silentio effutiant inter-  
rim, quæ religioni nostræ non majestatem aliquam, sed  
dedecus & ignominiam conciliare apta sunt. Declamant  
magnâ gravitate ex *Deut. XXIX, 29.* arcana Domino Deo  
nostro reservata esse, revelata verò ad nos & filios nostros  
perti-

pertinere, & ipsi tñ. quæ reservavit sibi Deus explicare sata-  
 gunt, & ita satagunt, ut omnē longæ illius & sollicitæ adhor-  
 tationis vim, quâ Moses utitur, unâ hac explicatione suâ pe-  
 nitus evertant. Carpitur Lutherus, quod malè confuderit,  
 quæ ipsi pessimè non distinguunt tantum, sed & oppo-  
 nunt. Scilicet amici, jubebamini quidem à Mose studere  
 obsequio Dei, & omnibus modis pœnàs, quas minatur  
 contemtoribus legis, evitare; at paucis tamen hæc gratia  
 futura est; aliter de vobis constitutum est, ne possitis ob-  
 edire, sed necesse est ut in æternos cruciatûs præcipitemi-  
 ni. Ecce horrible mysterium! dignum, quod ille qui-  
 cuncq; primus fuit חנן פנהצ æterno silentio clausisset.  
 Haud agnoscunt arcana talia S. literæ: mysteria ejus non  
 in rejectione, sed in vocatione gentium posita sunt, quæ  
 etsi latuerunt quondam multos, tandem tamen per Evan-  
 gelium Christi revelata sunt ubiq; terrarum Rom. XVI, 25.  
 seq. Epb. III. 4. seqq. & nunc eadem cum hominibus pariter  
 & S. angeli mirantur, I. Pet. I. 10. seqq. Superfunt quidem ar-  
 cana cœli plurima, quæ in his terris nullo oraculo inno-  
 tescent, at illa ne iis, quæ revelata habemus, adversa esse  
 nobis imaginemur, æterna Dei veritas prohibet. Quæ  
 Paulus audivit quondam ρήματα ἀρρητα, II. Cor. XII. 4. serva-  
 bimus paradiso cœlesti, sed illa non alia ibi expectabi-  
 mus, quàm quæ conveniunt profunditati amoris, quo  
 Deus se complecti genus humanum in S. literis testatur.  
 Ita Evangelio Christi ab apertâ luce major reverentia  
 erit, quàm ab horridioribus tenebris, quas prædestina-  
 tionum dogma illi aspergere conatur. Dissipabit illas plu-  
 ribus, & oraculum Mosaicum à falsâ interpretatione vin-  
 dicabit plurimum Reverendus & clarissimus Vir, DN.  
 JACOBUS WINNEMER, Archidiaconus. Jacobeus apud  
 Stetinenf. meritissimus, quem S. Theol. Candidatum ex  
 decreto Facult. nostræ nunc in scenam producimus, ut in  
 hoc studiorû Theologicorû publico specimine applausum



totius Academiae, & honores meritos auferat. Qui quis sit, quemq; vitæ cursum habuerit, paucis more majorum docebimus. Natus est Stetini Pomeranorum d. 2. Maji 1642. Patre gavisus admodum Reverendo viro DN. M. JACOBO WINNEMERO, Pastore quondam Jacobæo primario, Scholæ Senatoriæ Ephoro & Rev. Ministerii Seniore gravissimo, Matre ornatissimâ Matronâ, REGINA WASSERFÜHRERA, ex antiqua WASSERFÜHRERORUM, Ministrorum verbi divini apud Stetineses olim meritissimorum, familiâ. Quàm primum ad eam ætatem accessit, ut literas degustare posset, à custodibus ac Præceptoribus privatis ad motus est tenerioribus studiis. Ad annum a. usq; XI. ætatis una cum fratre natu majore DANIELE, nunc Dicafterij in Pomeraniâ Regii Advocato, Civitatisq; Wolgastensis, ubi olim Principum Pomeranorum sedes erat, Consule ac Syndico, sub fidei Præceptorum ( imprimis Pl. Reverendorum nunc virorum, DN. CHRISTIANI SCHMIDII hodiè Ecclesiastis in Pomeraniâ apud Stargardienses; DN. JACOBI RASCHII quondam Pastoris in Patriâ Sonnenbergensis, *ὄν ἐν ἀγίοις*, & DN. CHRISTOPHORI HENCKII etiamnum Pastoris apud Elbingenses in Borussia Primarii, ac Rev. Ministerii Senioris) curâ informatus, deinde in Senatoriam Scholam deductus, publicæq; DNN. M. ERICI PELSHÖFERI Rectoris, M. THOMÆ WISMARI, Con-Rectoris, & M. GEORGII HÜBNERI, Sub-Rectoris, informationi permissus est. Elapso verò quinquennio, è Scholâ ad Gymnasium Regium translatus audivit Clariss. Prof. D. MICRÆLIUM, D. SCHÆVIUM, M. PRÆTORIUM. Sub Micrælio A. 1658. jam in primo ætatis flore vim ingenii expertus est, cum disputationē habuit Philosophicam typis exscriptam *de generali consideratione pugna inter Utile & Honestum, ex Libr. 3. Offic. Ciceronis*. In Theologiâ audivit eundem doctorem Micrælium, post illum, Dn. Doct. JOACHIMUM FABRICIUM; In Ebraicis M. SALOMONEM MATTHIÆ, Archi-Diaconum tunc temporis Marianum. Anno verò 1661. Mense Aprili, annos XIX. natus, Academiam Lipsiensem suavis ac jussu Dn. Parentis adiit, ibiq; in convictu Dn. DAVIDIS SCHWERTNERI SS. Theol. Licentiati & Moraliū Professoris Publici vixit, publicè docentes Excellentiss. Professores diligenter audiens, Theologos

1009

logos GEIERUM, LANGIUM, KRONMAJERUM, SCHER-  
ZERUM, Philosophos THOMASIIUM, FRANCKENSTEI-  
NIUM, in primis informatione privatâ & in Philosophicis & in  
Ebraicis usus est Dn. M. GODOFREDI FRIDERICI, nunc  
Pastoris Wratislaviensium meritissimi. Ut verò & in aliis Aca-  
demiis studia sic satis feliciter cœpta prosequeretur A. 1662. post  
nundinas autumnales ad Academiã Jenensem se contulit, ubi in  
convictu Dn. D. SCHENCKII Medici Excellentiss. vivens, Lecti-  
onibus Theologicis tam publicis quàm privatis Dn. D. CHRISTI-  
ANI CHEMNITII, D. JOH. ERNESTI GERHARDI, simul  
ac D. JOHANNIS MUSÆI, nec non D. SEBASTIANI NIE-  
MANNI, & Ebraicis, Chaldaicis, Syriacis Arabicisq; Excell. Dn.  
FRISCHMUTHII, fruitus est, & sub hujus quoq; Philologi ce-  
leberrimi præsidio A. 1663. mens. Octobr. Dissertationem Philo-  
logicam *de stebili Messia in cruce pendentis gemitu ex Ps. XXII. v. 2.*  
publicæ disquisitioni subjecit. Inde Anno. 1664. Wittebergam  
invisit, Theologorumque summorum Lectiones, CALOVII,  
MEISNERI, QUENSTEDII audivit, nec non sub præsidio adm.  
Rev. Dn. D. DEÜTSCHMANNI Disput. Theologicam *ex Coloss.*  
*II. v. 9. de Persona Christi* à se elaboratam mense Julio publicè defen-  
dit. Cum ita totum quadriennium & quod excurrerat, hisce  
in Academiis confecisset, revocatus à suis domum rediit,  
ubi aliquandiu subsistens, ad studium Homileticum & Praxin  
Concionatoriam fidelissimã usus est manu ductione Dn. Paren-  
tis, sapiusculè è cathedris ecclesiasticis sermones sacros faciens,  
& in saluberrimũ studii Theologici commodum ac usum vocans  
paternam Bibliothecam eleganter instructam quondam, sed quam  
nunc obsidionis Brandenburgicæ flammâ bellicâ penitus consum-  
tam vehementer dolet. Cum autem is anno 1668. mortali-  
tatem exleret, acrius inde Dn. Candidatus noster ad promoven-  
da studia Theologica incitatus, patriam Academiam Grypticam  
adiit, ibidemq; Clarissimis Pomeraniæ Theologis Doct. ABRA-  
HAMO BATTO, D. JOH. MICHAELIS, D. MATTHÆO  
TABBERTO innotuit, usque dum Anno. 1670. Comitibus eodẽ  
TABBERTO ac Dn. D. POMERESCHIO Jcto famigeratissimo,  
in Sveciam navigavit, Holmiæque postquam innotuerat Illustriss.  
Comiti. ac Archistratego Dn. CAROLO GUSTAVO WRAN-  
GELIQ

**GELIO**, in aulâ ejus per aliquot menses substitit, nec rarò in  
 cathedrâ Ecclesiasticâ tam Holmiæ quàm Ecbyhosi publicè verba  
 fecit. Post reditum autem in Patriam, tandem A. 1674. ad Pastora-  
 tum Castrensem idem Illustrissimus Comes vocationè obtulit, cui  
 obsecutus, demandatum officium suscepit in timore Domini,  
 & Archistratego cum exercitu per Pomeraniam & Marchiam  
 usq; ad Albim progredienti semper comes adfuit, in Re-  
 gio etiam Consistorio, quod in castris erat, Assessor constitutus.  
 Quo in officio cum integrum triennium confecisset, factum est,  
 ut cum adhuc post obitum Illustriss. Wrangeli Stralsundi erat,  
 Nobilissimus Patriæ Senatus per literas inopinatissimas ad Pa-  
 storatum Johannæum virum benignè vocaret. Cui Ecclesiæ eâ  
 fide atq; dexteritate præfuit, ut motus inde Amplissimus  
 idem Senatus cum consensu & applausu Ecclesiæ ac Collegiorum  
 Civicorū omnium A. 1678. eum ad S. Jacobi Archidiaconatum vo-  
 caret. Quâ ab eo tempore spartâ ut egregiè ornaverit, salutemq;  
 & augmentum ecclesiæ sibi curæ habuerit, nostrum non est do-  
 cere, cum id omnibus urbis ejus civibus atq; incolis constet. Id  
 tantum testamur, quòd cum suâ Patronorum excitatus nomen  
 Facultati nostræ ante jam 6. menses modestè professus esset,  
 & honores Licentiati Theologiæ peteret, lubenter admissus sit,  
 etsi post variam interjectam proposito moram nunc tandem se  
 stiterit præsentè, & postquam examen, quod vocant, rigorosum  
 privatim secundum leges nostras satis rectè sustinuit, paratus sit,  
 qui in publicâ luce vires ingenii, & profectûs laudabiles studio-  
 rum Theologicorum toti Academiæ nostræ probet, lætoq; cum  
 applausu omnium ad honores ipsi decretos adspiret. Ad hanc  
 igitur panegyrim exornandam, & virum de veris Dei arcanis  
 eruditè differentem, animis linguisq; faventibus in Auditorio  
 Majore ad d. xxiii. hujus mensis Septembris audiendum, ut con-  
 venire placeat Magnifico Academiæ Rectori, & Excellentissimis  
 cujusq; Facultatis Professoribus, aliisq; sive gradu Academico  
 sive officiis in utrâq; republ. splendidis, & omnibus literarum  
 sacrarum æstimatoribus, tum Facultatis Theologiæ tum meo  
 nomine obnixè rogo. P.P. Sub sigillo ECtis Rostochii  
 Dom. XIII. Trinit. anno Christi MDCXC.









